640.

Doctiſſimo Meritiſſimo

Profeſſori botanices petropolitano

S. P. D.

Petrus Cuſſon med. doct. et Profeſſ. botan.

monſpelii die 1. 7bris 1775

Excuſatum me habe Vir Eximie, Si te ne nominatum quidem Litteris Laceſſam: ad cl. gmelin tuum, ni fallor, praedeceſſorem ſcripſi ut cum ipſo de iisdem agerem quae tecum tractare ſuscipio, nec reſponſum tuli: ab aliquot menſibus audivi hunc jam dudum fato functum fuiſſe: Exinde quaeſivi fruſtra quisnam viro praefato ſucceſſerat, neque ab ullo potui accipere: ſperavi forent feliciores Si Dnum meyer de ſucceſſore cl. gmelini ſciſcitarer. Verum laedere ne verbum quidem ad me fecit, Vir urbaniſſimus, a quo ſemina plura umbelliferarum, ſtirpium ſibiricarum, quas cl. Dni Pallas munificentiae debebat, tamen antea receperam: in his anguſtiis inops conſilii quo me vertam neſcio: unica dabatur via, ſcribendi ſcilicet ad cl. Profeſſorem botanices Petropolitanum, quam Lubens ineo; porro haec ſit ſcribendi Ratio.

ab annis octo De Perficienda ſtirpium umbelliferarum claſſe Satago: opus meum umbilico adeo proximum ſit ut ineunte hyeme proxima illud Praelo ſudaturum eſſe, facile credam

a bene multis heroïbus botanices percelebribus, Linneo, royen burmanno, jacquinio, jussieo, Hallero, adansonio, allionio, Spielmanno, Barnadeo &c &c, qui me arduo in opere juvare non dedignati sunt, accepi vix non omnes umbelliferarum species scilicet Specimina sicca et Semina matura ac recentia: Dum floram cl. gmelini sibiricam pervolvebam, aliquot umbelliferarum species non satis determinatas a Viro clarissimo, non sine aliquâ molestiâ animadvertebam, et de iis ad ipsum scribebam, ut pro sua benignitate earumdem semina et sicca specimina per veredos aut aliâ viâ, si prompta ipsi suppeteret, communicare vellet; cum inter semina quae ad me misit D. meyer a Dno pallas accepta, nonnulla occurrebant quae ad species novas mihi visas pertinebant: Hinde crevit desideratorum numerus: sperare jubet tua benignitas et minimè dubium in floram studium, quòd semina aliquot, Etiam vetusta, nec non praeprimis specimina umbelliferarum sibiricarum sequentium mecum volueris communicare: his opellam meam locupletare maximè ambio non ut quae vestra sunt, mihimetipsi inspiciam superbus graculus (quae hinc mittes, ut tua in publicum venient) sed ut complettè magis de umbelliferis scribam: ut par pari rependam, offero tibi, Vir Exime, semina et specimina plantarum quarumcumque, quas alit Hortus aut ager monspeliensis. porrò in votis mihi sunt umbelliferae sequentes, ad quamlibet lateraliter scribo quaenam partes mihi gratae

Vir clarissime, Etiam atque Etiam rogo: in meo opere sub tuo nomine prodibunt
...rij. Laetus tecum inibo commercium botanicum: utrique nostrum favet regionum
...quam umbelliferam, describere velis ac mittere semina 2-3, umbellulam floridam
...mis cultorem favore tuo prosequere: iterum vale.

ĦĦ valde inhio responsioni tuæ, quâ utinam beer, quantum ſſ[illegible]
descriptiones umbelliferarum novarum quas ad me mittere non g[illegible]
quas incolimus maxima distantia. si habet tuus hortus botanicus nova[illegible]
et folii radicalis pinnam unam infimam. Vale Vir Eximie et me ma[illegible]

43

accident.

\+ peucedanum N°. 6. gmelin Liber. ~~tab. 42~~ ~~[illegible]~~ (peto semina 4, vel 5. et umbellam floridam)

\+ angelica N°. 10. Gmelin. ibid. tab. 44. (peto semina 4.5. et umbellam floridam X inter hæc semina duo sint quæ invicem adhæreant)

\+ Ligusticum N°. 11. gmel. ib. tab. 45. (peto semina 2.3. et folium radicale resectâ petioli communis parte nudâ S. aphyllâ)

\+ Ligusticum N°. 12. gmel. ib. tab. 46. (peto semina 4.5, umbellam floridam, et folium radicale abscissis tum petioli communis parte nudâ tum pinnis duabus infimis unius tantum lateris.)

\+ Sium N°. 14. gmel. ib. tab. 47. (peto semina 4.5, umbellulam floridam, ~~[illegible]~~ folii radicalis paria duo foliolorum, costæ utrimque hærentia.)

\+ Selinum N°19. gmel. ib. tab. 49. (peto semina 2.3. umbellulam floridam et folii radicalis pinnam infimam, unam tantum)

\- chærophyllum N°. 25. tab. 49. a. b gmelin ib. (peto semina 4.5 et umbellulam floridam.

\- heracleum N°. 29. gmel. ibid. p. 213, absque icone (peto umbellulam floridam et folii radicalis pinnam infimam unam scilicet foliola tria petiolo suo hærentia: addere velis iconem parvam folii radicalis per medium longitudinaliter secti; sufficit mihi foliolorum et petiolorum ambitus.)

cachrys [illegible]

\+ pastinaca N° 30. gmel. ib. tab. 50 (peto tantum umbellulam floridam)

paucula hæc Vir Eximie mihi satis erunt cum descriptionibus et iconibus gmelini. at te petere ausim insuper, si forte tibi notæ sint hæ umbelliferæ et habeas penes te, 1°. cachrym odontalgicam D^ni^ pallas cujus semina simillima sunt cachri nostrati quæ mitto, sed nostris longiora, ~~atque~~ paulo graciliora 2°. umbelliferas sibiricas absque nomine missas, quarum semina in hacce carthâ agglutinata sunt. inter has, quæ novæ erunt species, velis fuse describere et earumdem mittere umbellulam floridam et folii radicalis pinnam unam infimam. cæterum quæ hactenus petii, mittere poteris per veredos intra chartham unam, duas &c.

umbellatæ in desertis ad Wolgam

Ħ

2v

MONTPE

H.S.

Doctiſſimo Profeſſori
Botanicês Petropolitano

a Petersbourg en Ruſſie

122